

**I**ncipit liber de proprietate  
monachorum domini Johannis tritemij abbatis spanbemensis.

**O**mnēs ad vitam eternam sine personarum acceptione sumus vocati: omnes etiam illuc pervenire cupimus: sed ambulare per angustum iter omnes formidamus. Dicit autem scriptura. Regnum dei vim patitur: et violenti rapiunt illud. Angusta siquidem est via que ducit ad vitam: et pauci sunt qui ambulant per eam. Que est angusta via? Propria voluntate propter dei amorem deserere: voluptates carnis non amare: mundum et omnia que illius sunt contemnere: patientiam in adversis habere: iniuriam non vindicare: inimicis benefacere: odientes se diligere: divitias terrenas cum affectu habendi derelinquere: voluntariam paupertatem in humilitatis spiritu diligere. Hec est angusta semita: hoc arduum salutis iter: hec via que ducit ad vitam eternam. De hac semita dominus dicit. Qui vult venire post me. abneget semetipsum: et tollat crucem suam et sequatur me. Crux nostra fratres proprie voluntatis abnegatio est: ut secundum spiritum conversantes: carnis desideria non faciamus. Quid voluntatem nostram querimus: si veri monachi sumus? Ecce dei filius facere voluntatem pro nostra salute propriam noluit: et nos maioris imperio reluctamur? Nunquid non ista est ampla via que ducit ad perfectionem: in qua omnes que sua sunt querunt: non que iesu christi? Si monachus es. ad quid voluntatem tibi usurpas alienam? Enimvero postea quam iugo regule caput tuum submisisti: voluntas tua non amplius tua est. sed eius quem ducem et moderatorem tibi prescisti. Jam itaque missa manu ad aratrum non licet tibi post tergum respicere: nec voluntatem tuam debes constituere: quia viam dei angustam alius nemo in veritate graditur: nisi qui carnis concupiscentie forti animo reluctatur.

*Crux vltimorum abne-  
gatio est voluntatis*

*Angusta semita*

**A**